



Kem / 3495 (1-16)

552

DE  
**A T H E R O M A T E**  
**M A N V C V R A T O.**

---


SPECIMEN IN AVGRALE CHIRVRGICVM,  
QVOD,  
CONSENSV FACVLTATIS MEDICAE  
HALENSIS,  
VT  
**S V M M O S I N M E D I C I N A**  
ET  
**CHIRVRGIA**  
CAPESSAT HONORES,  
PRAESIDE  
**IOANNE CHRISTIANO REILIO,**  
MEDIC. ET CHIRVRG. DOCTORE, PROF. PVBL. ORD.  
THERAP., DIRECT. INSTIT. CLINICI ETC.  
DIE XIX. OCT. MDCCXCVIII.  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
**CHRISTOPHOR. ANDREAS SCHMIDT,**  
FRANCO.

*Hassenfrappach in Franken*

HALAE

FORMIS IO. CHRIST. HENDELII.





VIRO ILLVSTRI, AMPLISSIMO,  
COGNATO SVMMA PIETATE COLENDΟ,  
**IOANNI GEORGIO  
MEUSELIO,**

PRINCIPI BRANDENB. A CONSIL. AVLIC.,  
PROF. PVBL. ORDINAR. HISTOR. IN VNIVERSITATE  
LITERARVM ERLANGENSI, VARIARVM SOCIETATVM  
ERVDITARVM MEMBRO,

HOC SPECIMEN QVALECVNQVE

I N

TESSERAM GRATI PIIQVE ANIMI

VOTVM VVLT

A V C T O R.

ALIO LITERATI AURASMO  
CONGRUITA ETATIS COMMUNIA  
IOANNI GEORGIO  
MESSERIO

ALIO LITERATI AURASMO  
CONGRUITA ETATIS COMMUNIA  
IOANNI GEORGIO  
MESSERIO

HOC LIBRUM QVIATIVORVM  
IMMORTALITATIS ETATIS MALLENT

MODYK

D E

## ATHEROMATE MANV CVRATO.

### I. HISTORIA.

I.

**C**ysticus tumor, cuius curationem sat memorabilem narrandam suscepi, per quatuordecim iam annos mole auctus, originem duxerat octavo hominis anno ex vellicatione genae dexteræ violenta, quam ilico sanguinis effusio et inflammatio exceperat. Primo post laesionem nychthemero adeo invaluit inflammatorius tumor, ut praeter universam genam oculus etiam eiusdem lateris dolore vehementi, tumore et inflammatione corriperetur, febrisque valida accenderetur. Quibus quidem symptomatis opposita sunt ea praesidia, quae sanguinis nimius cursus et citata vehementer febris requirere videbantur: missus est sanguis e vene, hirudines datae sunt prope ab oculo, regimen antiphlogisticum imperatum est, frigidis fotum est caput. Eo modo porrigebatur morbus ad tertium usque diem. Tum enim siluit febris cum delirio, tum dolor cessavit, inflammatio et tumor minuta sunt.

2.

## 2.

Ex eo autem tempore superfuit tuberculum nucem avellanam magnitudine aequans, quod ne ullo quidem discutiente remedio tolli potuit. Irritantibus potius medicamentis cursus humorum versus eas partes adeo incitatus fuisse videtur, ut indies magis magisque partes induuerint, donec anno hominis vigesimo secundo ovum anserinum mole referrent. Gena et extrinsecus et intrinsecus mire tumida impedivit, quominus facile mandere cibos posset, imo dentibus saepius correptus fuit tumor, ut novis vulneribus inflammaretur, neque demum alios valeret cibos vorare praeter fluidos.

## 3.

Tandem in manus scolorum chirurgorum incidit, qui discussionem experientes irritantibus remediis, ad mercuriale tandem, pessimo consilio, venerunt unguentum, quod ad totam colli et tumoris superficiem dantes, febrem vehementem cum capitis doloribus et salivae cursu excitarunt. His accesserunt inflammatio colli, ulcera oris, dentium lapsus, et obstacula deglutitionis. Ferrum experiri nemo audebat, licet adsiduo, qui laborabat, eos, periculum ut faciant, moneret, metuens se tandem misero fato intermoriturum esse.

## 4.

Tot insciorum hominum perversis curationibus vexatus me adiit, ut auxilium ipsi ferem.

rem. Neque tamen statim ad ferrum venire consultum videbatur, quum saliva fluxus alia- que symptomata id impedirent; ordinavi autem, ut saliva remissius flueret, laxantia; os eluere iussi aqua calcis vivae cum tinctura thebaica et melle rosarum. Octo tandem diebus interiectis adeo mitigata sunt quaevis symptomata, ut curationem experiri posse crederem, maxime quum enixe me homo efflagitaret, ut ferrum admoverem, sive mors inde, sive vita se- quutura sit. Circumspectissime iterum per- scrutans tumorem, inveni, undique mobilem esse, extendi autem versus inferiora supra ma- xillam inferiorem, angulum oris trahere obliquo modo ad aurem, ad os usque zygomaticum procedere, et dimidiam fere glandulam paroti- dem complecti.

## 5.

Quae cum ita se haberent, ac laborans fiducia insigni praesidiū manus postularet, chirurgis duobus in auxilium petitis, adgressus sum ipsam curationem, quam homo ea virtute subiit, ut aegerrime cogi posset, caput manu firmiter tenendum esse. Quum cuticula ad- modum tenuis et tumor satis expansus esset, a superiore ad inferiorem usque oram aperien- dum esse mecum constitui: statim vero, incisa cuticula, exiit insignis pulticulae tenuis co- pia, totusque tumor fere momento citius eva- nuit. Basin tenebant partes, quae obdurue- rant, facile vero digitis eximenda. Pulticula

ibi

~~~~~

ibi contenta duas uncias et drachmam unam cum dimidia pendebat. Sanguinis pauculum effundens vulnus dilatari aegerrime potuit, cum saccus in superiore parte, ubi os zygomaticum contingebat, admodum crassus esset. Ut itaque sanguine effuso minimum sentirem impedimentum, pone eum, qui curabatur, stans, tenaculis saccum comprehendi, qui maxillae inferiori firmiter incumbens arteriam faciale manifesto pulsantem vicinam habebat. Saccus autem ea ratione comprehensus, facile separari poterat, quum ramuli arteriae pauci discessi glomerulis acervatis sine molestia comprimi adeoque sanguinis cursus sisti posset.

Ad medianam genam saccus fere cartilaginis duritatem acquisuerat, forte quod hic partes primum obdurescere coepissent. Ne ductus laederetur Stenonianus, separavi reliquum tumorem ab osse zygomatico et ab angulo oris, quod etsi sine molestia contingenteret, discindebatur tamen insignis arteriae transversae faciei ramus, quem vincire opus erat, quum nullis acervatis glomerulis satis comprimi posset. Quod de sacco supererat, in media gena et prope a parotide iis deinde tractandum duxi, quae pus movent.

## 6.

Haec curatio quamvis sanguinem admodum copiosum profuderat, doloremque non levem produxerat separatio sacci, aeger tamen

inter

inter curandum ne mussitabat quidem, neque animam deficiebat. Probe vincere vulnere aeger quieti tradebatur.

Vt irritatus solidarum partium status minueretur, tincturam thebaicam cum nitro sumendam ordinavi; prohibui praeterea, ne quid manderet, sola autem fluida vorare dedi. Vesperi satis bene se habuit, pulsibus non admodum irritatis; laetitia autem exultans loqui conabatur, quo facto sanguis denuo promanavit. Quo sanguinis cursu sufflaminato, excubias ipsi agere quemdam hortatus sum, ne iterum sanguis prorumperet: cumque nec longe abessem, iussi, ut si quae adversa acciderent, illico advo- carer.

## 7.

Ad horam undecimam vespertinam capitib⁹ dolores excitare, vulnus quoque dolore agitari coepit; id vero ad matutinum usque tempus continuavit, ubi facies parum tumida erat, pulsusque intra scripulum horae primum octoginta numerabantur. Vincturam intactam misi, eademque remedia continuare iussi. Vesperi febrie coepit, frigere, deinde aestu exagitari, dolores praeterea sentire in vulnere, capitib⁹ tumorem eum experiri, ut post duas demum horas oculo dextero nihil amplius conspicere posset. Iam pulsus pleniores, magis irritati, centum et sex ictus intra scripulum horae pri-  
mum faciebant. Corporis robur et sanguinis manifesta abundantia cogere me videbantur ut  
de-



decem uncias sanguinis detraherem, simul e speciebus emollientibus fomentum vulneri imposui, ut dolores mitiores redderentur, idque denuo quovis bihorio repetere imperavi. Compressa ex duobus diebus alvus eluebatur, praeterea quoque, ut alvus liquida servaretur febrisque mitigaretur, potionem ordinavi ex pulpa tamarindorum cum sale Glauberi, cuius quantum vasculum dimidium ad theae infusum usurpatum capit, omni hora sumebat. Noctem sine quiete transegit, versus matutinum tempus caput vehementer intumuit, ut nec altero oculo quidquam videre posset. Nihilominus alvus libera erat, et febris mitior quam vespera hesterna.

## 8.

Vinctura remissa vulnus inspexi, quod siccum erat, ut totam vincturam aqua calida solvere tantummodo possem. Quod supererat sacci, manifestum erat, extoto nimirum albidum et tendinosum. Intactum id reliqui, dolores mitigare contentus, balsamum Arcaeum cum oleo amygdalarum dulcium superdedi, neque aliter quam remissius vincivi. Super vinctura autem posui cataplasma ex herba hyoscyami cum seminibus lini contusis. Vesperi iterum febris validius intenta est, pulsibus admodum plenis durisque, doloribus et capitum et vulneris vehementer auctis: mox desipere, e lecto aliquoties prosilire, tantopere sitire coepit aeger, ut neque satis potuum ipsi exhiberi posset. Bibere autem iussi aquam cum cremore tartari

mi-



mistam, imo venam secui iterum, ut febris mitigaretur. Quo facto tandem symptomata sese paullo remiserunt; noctu vero iterum invalidit febris, donec sudoribus validis hora quarta matutina profusis et somno solveretur.

## 9.

Faciei tumor aliquantum consedit, dolores capitis et vulneris leniores evaserunt. Vinctura soluta suppurationem parcam observavi, tumidis tamen plagae oris. Simili vero modo vinctus est aeger, superdato eodem cataplasmate. Diem quiete transegit, vesperi vero iterum sese iactare, anxietatem queri, quam durare non possit, pulsibus exilibus, celeribus spasticisque, ut intra scripulum horae primum nonaginta octo ictus observare potueris: cutis praearida et flagrans; tumor faciei adeo imminentus, ut utroque oculo cernere posset. Vultum perspexi anxiun et quasi desperantem, os aperire aeger nequii. Ex quibus notis conieci, nervorum distensionem, et spasmum maxime cynicum instare. Statim vero aqua multa tepida corpus totum sovi, laudanique guttas viginti propinavi; collo et maxilla inferiore inunctis laudano, oleo hyoscyami et althaea, quibus superdatum est cataplasma. Hora post balneum adhibitum aeger ad quietem rediit et ad somnum, sudore quoque valido solutus.

## 10.

Matutino tempore pulsus mollior et magis quietus, evanuerant angores et dolores capitatis,  
con-

consederat tumor faciei: neque tamen os aperire potuit, adeoque masseteres obduruerunt, quasi firmum quid mandere voluisse: quibus iterum laudani guttas viginti opposui. Vinctura soluta laetus vidi; pus bene esse motum, orasque vulneris parum tumere. Sacci residuam partem intactam misi, ne novis stimulis excitaretur: eodem autem modo vulnus vinctum fuit, ac prioribus diebus, linamentorum vero carptorum plus indidi, ut pus faciliter sorberetur. Unguento addidi unguentum mercuriale, iisque quibus fotus erat, capita papaveris. Cum nimis fatigatus esset aeger, iusculum parare imperavi e carne vitulina cum pulpa sago, quod ope pennae anserinae attrahi oportuit. Remissius transegit diem, vesperi vero, licet non eadem vehementia, redierunt symptomata, quibus eadem praesidia iterum opposui.

## II.

Quum per noctem bene dormiisset, experrectus bibere cupiit: infusum theiforme cum pauxillo succi citrorum, aperto ore, egregie vorare potuit. Pulsus molles, parum irritati, intra scripulum horae primum septuaginta novem numerabantur. Vulnere recluso puris egregii non parum inveni; id, quod de sacco supererat, colliquescere coepit, vulneris autem plagae non amplius tumidae prope ad se invicem accedebant. Vincturae eidem institi; ob distentionem vero maxillae superinunxi eadem. Curatus per aliquot horas extra lectum transegit,

git, vesperi praeter tensae maxillae sensum nihil conquestus est. Quodsi os aperire vellet, praeter voluntatem iterum occludi vidi. Eadem praesidia balnei, fomentorum et laudani iterum adhibita noctem quietam attraxerunt. Post somnum experrectus hilari animo, nihil tensionis sensit. Totum corpus leniter madere, pulsumque molliorem reperi: lecto itaque se contineat ac quemvis animi affectum praecavere imperavi. Vulnus pure probae notae impletum erat; duriores autem partes genae adhuc firmiter adhaerentes lapide infernali tetigi, ut pus moveretur, et carnis recentis copia propullularet. Superinunxi styracem, ac pulvillis contexi. Huic quoque fini et servandis viribus idoneus videbatur cortex peruvianus, quem itaque ordinavi.

## 12.

Totum hunc diem extra lectum moratus est aeger; cumque vesperi bene sese haberet, abstinere iussi a laudano et balneo. Quiet transacta nocte, alvum sponte depositum, quod antea nunquam acciderat, maxillam movere sine ulla molestia potuit. Hilaritate singulari, simulac me conspexit, me adgressus manu comprehensa: »Iam exploratum habeo, inquit, mortem nos fugasse, adeo enim bene me habeo, ut ambulare velim.» Vulnus interea optimam induerat faciem, pure fere omnes, quae obdruerant, partes solutae cum eodem eximi poterant. Quidquid supererat, lapide infernali iterum tetigi, superdato unguento e styrace et

CON-

contractis oris ope emplastri adhaesivi, omissis autem unguentis aliis et cataplasmate. Famili meridie cessit, cupidineque insigni cibos ingessit.

13.

Sequenti die, cum bene quieteque dormisset, caroque vulneris admodum copiose propullulasset, linamenta carpta indidi, superposui autem pulvillos cerato saturni inunctos, firmius quoque vincturam contraxi. Corticis peruviani usu perrexit, ac in posterum semper siccis tractavi vulnus, lapide infernali, quae nimis emergebant, tetigi, donec, feliciter cedente curatione, post quatuor hebdomadas penitus consanesceret. . . . Distentionem autem musculorum perfectum profiteri spasmum cynicum licet non ausim, cum quadantenus saltem os diducere aeger potuerit: exploratum tamen habeo, ni opium ilico post curationem adhibitum fuisset, laborantem intermortuum fuisse. Maximo autem praesidio etiam balnea tepida fuerunt.

## II. EPICRISIS.

14.

Hunc morbum eiusque curationem ut rite illustrare possimus, incipiendum esse arbitror a definitione tumoris, quo aeger per adeo longum tempus iam laboraverat. Fuisse autem tumorem, tunica peculiari inclusum, seu cysticum, cuique patet, ut nulla amplius egeat de-

mon-



monstratione. Quorum tumorum quum plura  
observentur discrimina, quae differentiam eius,  
quod intus est, preeprimis complectuntur, *me-*  
*liceridem* nimirum, quae liquidorem humorem  
pressu circumfluentem continet, *atheroma*, cui  
subest quasi tenuis pulticula, et *steatoma*, cui  
pingue quiddam; ad atheromatum speciem no-  
strum tumorem numerandum esse constat, quan-  
doquidem discissa tunica exierit eius pulticulae  
insignis copia.

## 15.

Eius tumoris autem nomen ab *αθηραι* de-  
ducitur, quae tenuem pulticulam signat, e zea  
aut tritico molitis et in pollinem redactis, infan-  
tibus convenientem, <sup>1)</sup> quum meliceridis nomen  
a similitudine mellis, steatomatis a pinguedine  
seu adipe derivandum sit, quod in iis contine-  
tur. Est itaque ea specialis differentia trium  
eorum tumorum, quod meliceris et steatoma  
magis naturalem habeant contentorum indolem,  
lympham nimirum spissescensem, mellisque mo-  
lem aequantem, et adipem ipsam, paullo ma-  
gis tantummodo crassam, quam in statu natu-  
rali contingit, atheroma vero complectatur pe-  
regrinum quid, quod, licet formatum esse vi-  
deatur ex humoribus naturalibus, mole tamen  
solida et farinosa aut pultacea manifestius rece-  
dit a statu naturali.

## 16.

Insunt autem atheromati plerumque et alia  
peregrina, quae mirum quandoque aliquid pro-  
dunt.

1) DIOSCORID. lib. II. c. 114. p. 126. ed. Sarac.



dunt. Ita CELSVS iam observavit quasi rasaē cartilagini aut hebeti carni et putri id simile esse, quod intus sit:<sup>2)</sup> PHILOXENVS animalcula muscis aut culicibus similia, et LEONIDAS Alexandrinus aliquando lapidosas partes aut sulfuris ramenta, velut ossicula gallinarum mansa, aut pilos crassissimo humorī complicatos animadverterunt.<sup>3)</sup> Nuperis quoque temporibus non raro pilos, dentes, ossa, aut alia organica corpora in atheromatis repererunt RUY SCHIVS,<sup>4)</sup> CLEGHORNIVS<sup>5)</sup> aliique. Hydatides quoque non raro inventae sunt, quae manifesto a vermiculis aut taeniis generatae suisse videntur.

## 17.

Quid tumores eiusmodi intus habeant, ad quamnam itaque speciem referendi sint, ut coniectura praesagiri potest, sic ex toto cognosci, nisi cum electa sunt, non potest. Generatim vero vel cedere prementibus digitis vel non cedere solent. Quo magis cedunt, eo magis meliceri; quo plus renitent, eo magis steatomati adnumerandi esse videntur. Id autem habent peculiare, quod sine dolore sint, ac non, nisi pressis aut vellicatis partibus adiacentibus, possint molestias aut dolores producere.

## 18.

2) CELS. lib. VII. c. 6.

3) AET. tetr. IV. lib. 3. c. 7. p. 743. coll. STEPHAN.

4) Advers. anat. chir. dec. III. p. I.

5) RICHTERS chirurg. Biblioth. B. XII. S. 293.

## 18.

Nonnumquam videntur posse inflammari, quum velamentum, quod eos circumdat, rubicundum adipiscatur colorem et renitentem molem. Neque tamen ullus adesse dolor aut aliud quoddam inflammationis imminentis symptoma observatum est. Vnde, etiamsi is accedit rubor, nequaquam tamen tumores cysticos posse in exulcerationem per se abire, nonnulli arbitrati sunt. Adsunt tamen non rarae apud auctores observationes,<sup>6)</sup> quod externis stimulis irritati eiusmodi tumores in ulcus apertum transierint, a quo denique fistula fiebat.

## 19.

Non desunt praeterea casus, ubi naturae vi, pressione forte leniore, ii tumores discutentur, ubi tumor contentus abiret in vasa lymphatica resorptus, vacua autem remaneret cystis. Is exitus magis sperandus arteque promovendus nonnunquam est in meliceri, quam in atheromate aut steatomate. Etenim, quo fluidius id est, quod tumor intus habet, eo facilius etiam resorberi potest: atheromata vero, cum peregrina saepius corpora, solidiorem saltem massam, contineant, non possunt quin resistant cuivis vi ac conatui vel naturae vel artis, eos discutiendi. Hinc veteres iam, PAULLO Aegineta teste, discussionem soli meliceridi adiudicarunt, atheroma vero et steatoma absque ulla

re-

6) RICHTERS Wundarzneyk, Th. I. §. 419.

resolutionis probabilitate paullatim magis increscere, neque aliter quam vel excisione vel putredine tolli posse. 7)

Moles, in quam augentur tumores cystici, maxime atheroma, enormis nonnunquam est. Nostrum, si omnia computentur, fere uncias duas cum dimidia pendebat. Exiguum itaque fuisse, si cum aliis auctorum observationibus componitur, apparet: namque praeter incredibilem fere molem tumorum, quam refert IOANNES LANGIUS, fidus alioquin testis, quaeque sexaginta libras aequabat, 8) exstant plures causas, ubi viginti, triginta aut quadraginta libras pependisse dicuntur. 9) Eam molem quum habent, nil mirum est, si, nimio cursu humorum nutrientium huc appellentium, aliae partes privantur nutrimentis, adeoque extenuantur, ut phthisis facile sequi possit. Hinc saepius observatum est, macros esse eiusmodi homines, nec posse p[re]a debilitate extra lectum morari.

Nullus fere corporis locus est, qui hisce tumoribus non sit obnoxius. Quam latissime patet tela cellularis, proveniunt, quamvis maiores

7) PAVLL. Aegin. Lib. IV. c. 34. p. 147.

8) LANG. epist. med. lib. III. ep. 4. p. 981.

9) SEVERIN. de abscess. anom. c. 14. p. 139. BELL's Syst. der Wundarzneyw. Th. IV. S. 301.

res observentur ambitu in thorace et abdomen, quam in capite, ubi, licet frequentes sint, exiguae tamen molis fere semper esse solent. Fere desunt in abdominis ambitu, quum pressiones variae et coacta forma partium adiacentium necessaria esse videatur, ut eiusmodi procurentur tumores. Vbi autem nulla adsunt ossa, nulli renitent tendines firmiores, ea etiam haudquam oriri potest passio, quae congestionem humorum lymphaticorum certis finibus terminatam, duramque et renitentem supponit. Atheromatum in fronte media, pone oculi canthum exteriorem, post aurem, in cervicibus, sub lingua, in paristhmiis, in dorso, in media manus vola, in cubiti flexura ortorum historias collegit MARCVS AURELIUS SEVERINUS.<sup>10)</sup>

## 22.

Sedem tumorum eorum quaerendam esse in cellularis, praeprimis eius textus, qui a cellularis nomen habet, per se manifestum est: quamvis non raro glandulas vel conglobatas vel conglomeratas simul pati negandum non esse videatur. Harum cellularum peculiaris humor primam exhibere originem et quasi stamina tumorum eorum, sive eius, quod intus habent, inde credibile est, quod nonnunquam, qui prius mobiles erant et fluentes, deinde immobiles sunt, duri et renitentes. Melicerides enim in atheromata, haec vero in steatomata mutantur, et qui ante

B 2

fa-

10) L. c. e. 17. p. 143.

facile moveri poterant, post ne ullo quidem modo moveri possunt. Quodsi itaque ex meleride atheroma exortum fuerit, tumor primus, qui ex lympha mera coiit, fluidus et mollis, indies magis indurescit, ut tandem stasi lymphatica durior corpuscula etiam solidiora continere videatur, quae lympham coagulatam aut organico modo mutatam supponunt.

## 23.


Iudem tumores ut probe dignoscantur a pluribus aliis, qui longe aliam caussam supponunt, plurimum interest; siquidem non desunt observationes manu curatorum et incisorum eorum tumorum, qui vero ex dilatatis potius arteriis originem ducentes incisi exitialem patiebantur eventum.

Ab aneurysmatibus autem differunt hi tumores, quod ibi appareant, ubi nullus arteriae cuiusdam insignis ramus quaerendus est. Oportet itaque eum, qui curaturus est, positum et divisionem vasorum probe cognoscere, ut, quae petant repetantque rami arteriarum aut venarum cursum, certum habeat. Deinde vero notandum est, aneurysmata initio pluribus proprietatibus optime discerni posse ab aliis tumорibus, maxime cysticis, licet temporis progressu haudquaquam ea adesse differentia videatur. Sub initiosis itaque morbi manifesto tactu pulsum arteriae dilatatae explorare poteris; non raro etiam auditu facilem strepitum sanguinis impetu quo-

quodam in arteriam dilatatam irruentis habebis; videbis praeterea lividum aut rubicundum tumoris colorem, quae signa singula in tumoribus cysticis deficiunt. Quodsi vero aneurysma iam inveteratum plures adsumiserit tunicas, ex secedente lympha generatas, ut crassiora vela menta inter sanguinem et manum contrectantis intersint, adeo simile tumori cystico sit et colore et duritie et pulsus strepitusque defectu, ut facile utraque affectio commutari possit. Tunc vero duae supersunt notae, quibus discri men inhaeret, situs nempe et positus tumoris, ac intermissio pulsus in arteriae dilatatae ramo, quem saepius manifesto indicio tangere poteris; quae nota quamvis non ubique inveniatur, quum ex arteria aneurysmatica non unico semper flu mine sanguis ad eum ramum currat, quem manus medici tangere potest, sufficit tamen in pluribus casibus.

## 24.

Ab aneurysmate ad varicem transitus est. Is, cum diutius iam moratus est, adeo firmas adipiscitur tunicas, ut fluida eius moles, lividus color aut subcruentus, quibus initio distingui potest, deficiant, eaque ratione haberi pro tumore tunicato possit. Oportet autem tunc eum, qui curaturus est, circumspectissime inquirere in positum morbi, ut, qua tendant venarum rami maiores, bene distinguat. Deinde solertissima opus est disquisitione status prae gressi, ut, quanam ratione morbus adgressus sit



sit aegrum, quaenam adfuerint initio notaes, sciat. Ex his itaque aliisque notis plerumque exploratum habebit medicus, utrum sit verus tumor cysticus, an varix, quem curare suscipit.

## 25.

Ad difficillimum transeo locum, diagnosin nimirum tumoris cystici et scirri: uterque enim tuberculum sistit solidum plus minusve durum, paullatim lentissimoque nonnunquam modo auctum, nullis aut minoribus saltem doloribus iunctum, neque facile phlegmonen concipiens. Notarum autem, quibus uterque diagnoscitur adfectus, prima fere est immobilitas scirri a primo inde orta. Etenim quamvis exiguae molis tuberculum, imo solam saepius rimam sistat, habet tamen duri aliquid, quod adeo arcte cum vicinis partibus cohaeret, ut hac illacve moveri aegerrime possit. Quin chordae nonnunquam magnopere tensae firmare videntur durum id tuberculum, et arctissime colligare cum partibus vicinis. Tumorū autem cysticorum plerique, praeter atheromata et steatomata insignis ambitus, initio saltem, facile moveri possunt, et melicerides ac atheromata plura adeo fluida sunt, ut nullo modo cum scirrhis commutanda esse videantur. Deinde tenendum est, tumores tunicatos ubique provenire per totum textus cellularis ambitum; scirrhos autem fere terminari glandulis et conglomeratis et sebaceis, ut itaque multo rarius hi quam illi proveniant. Scirri etiam multo magis infesti sunt

sunt senibus, aut hominibus, qui diu iam a trahilario habitu, moestis animi affectibus laborant; tumores autem tunicati oriuntur in iuvenibus aequo ac senibus, nullam eiusmodi labem totius habitus supponunt, sed locales magis caussas aut laxitatem saltem systematis lymphatici et glandularum congregatarum.

## 26.

Aliud etiam est discrimen, quod tumores tunicati, quamquam lentius augeantur, in multo maiorem tamen molem increscant, quam scirri, qui diutius exiguum servant ambitum, praeduri manent, nec ipso nonnunquam tempore, quo transeunt in carcinoma, mole admodum augentur. Denique scirri etiam, quamvis per se dolorem haud insignem excitant, eo tamen multo magis ac frequentius adficiuntur quam tumores tunicati; hi enim nunquam ipsi dolent, sed vicinae solummodo partes, quas tendunt aut comprimunt. Scirri autem saepius quovis menstruo circuitu exagitantur, ut dolores non raro praecerbos producant.

## 27.

Variis locis varii occurunt tumores, cum quibus confundi possent cystici. Exempli loco adducam tumorem articulorum, qui fungi nomen fert ac genibus maxime infestus est. Is potest communari cum folliculatis tumoribus, genua corripientibus, quos frequentes praeprimis esse apud monachos ac devotos homines, qui in

in genua saepissime concidunt, testatur BRAM-BILLA.<sup>11)</sup> Distinguuntur autem a vero articulorum fungo, quod magis circumscripti unum tantummodo locum occupent, quam verus articulorum fungus totum articulum, quam late patet, complectatur, et praesertim ligamenta et capsulas articulares corripiat, unde durus tumor undique statim ab initio sese expandit ac immobilem reddit articulum.

Expositis notis diagnosticis atheromatum, ad caussas ipsas transgredimur, e quibus dispositio quaedam in corporis laxa et flaccida constitutione quaerenda primum omnino in censem venit. Etenim videmus id vitiorum genus non raro hereditarium esse, et potissimum apud eos homines esse frequentissimum, qui scrofuloso morbo laborant, aut eius sequelis affecti sunt. Hinc explicatiu haudquaquam difficile est, cur infantes, tinea capitis laborantes, atheromate non raro aut meliceride ad cervicem aut in capite ipso ostendant.

Praeter hanc dispositionem caussae externae sunt accusandae, quae per se quidem nequeunt ipsum vitium producere, possunt tamen cum dispositio adest. Vellicatio, contusio, ictus, pressio, aliaque id genus extranea, ita saepenumero agunt, ut stasin aut obstructionem pro-

11) Abhandl. der Josephin. Akad. Th. I. S. 4. 5.

producant, quibus eiusmodi tumor cysticus adiungitur. Id et SEVERINI et nostra observatione confirmatur. Quanam autem ratione ex his caassis tumores isti oriri possint, iam nostrum est inquirere.

## 30.

Eximius sui temporis auctor PLATNERVS iam arbitratus est, ex vitio vasorum lymphaticorum, quae et adipem et lympham e cellulari textu resorbeant, eos tumores ortum ducere, et IANSSENIVS speciatim steatomata oriri contendit, si vasa lymphatica pinguedini resorbenda dicata quacunque de causa vel comprimantur vel obstruantur.<sup>12)</sup> Quaevis enim congestio aliter explicari nequit, quam ex impedita resorptione, sive ex nimis aucta exhalatione: quorum vitiorum istud paeprimis accusandum esse in tunicatis tumoribus videtur, quum laxitas et atonia systematis absorbentis praecipuam sistat causam huius morbi praedisponentem. Residua itaque et non resorpta lympha in cellulis textus cellularis stagnat, cumque a nulla solidorum vi agitetur, propellatur aut resorbeatur, sed potius indies copia augeatur, necesse est, ut tandem spissescat, ut materies albuminosa quiete diurna coeat ac solidorum corporum indolem adipiscatur. Eiusmodi aliquid fieri videmus et in aliis lymphae organicae statibus: sic ex lympha in articulorum cavitatibus aut intra vesicam urinariam vel in aliis caveis stagnante oriuntur calculosa concrementa, quae

nil

12) SÖMMERRING de morb. vasor. absorb. §. 68. p. 164.





nil aliud sunt, quam mucus ex materie albuminosa inspissata ortus, qui, accedente quiete vel alio quodam principio coagulante (quod interdum oxygenes esse, seu acorem phosphori corpori animali proprium) in coagulum solidum abit.<sup>13)</sup>

## 31.

Tali itaque ratione molem et contenta varia atheromatum exponenda esse nobis videntur. Ossea enim aut capilliformia corpuscula, aut lapidosa concrementa, aut pultacea massa, quae saepius in eiusmodi tumoribus reperiuntur, unum quasi stamen, unam, ut ita dicam, radicem habent, materiem albuminosam lymphae, quae pro variis conditionibus fluidior est aut spissior tenaciorque, quae itaque, pro eadem differentia, vel pultaceam vel osseam vel etiam lapideam indolem acquirere potest. Nonne forsitan eodem modo ortus eorum, quae in ovariis vitiatis virginum reperta sunt, explicandus esse videtur?<sup>14)</sup> Nonnunquam quidem conceptio probabiliter praegressa est, unde ex imperfecta conceptione organica illa corpora a variis exponuntur aucteribus. At vero, cum casus plures non desint, ubi omni suspicione aegrae eiusmodi vacarent, gravidas unquam antea fuisse, aliter haudquam lucem videre nos posse arbitrari, nisi ex mutationibus organicae lymphae, quae in tunicatis tumoribus, maxime in atheromatibus, contingit.

## 32.

13) SPRENGELS Pathologie, Th. III. §. 371. 372. §. 412.

14) Ib. §. 776.

## 32.

Velamenta illa, quibus atheroma circumdatur, cellulari tela inspissata formantur, quae apposita lymphae spissescens maiore indies copia, paullatum firmorem etiam adipiscuntur indolem, ut denique immobilis reddatur tumor. Nonnunquam vero, dum lympha magis inter se cohaeret, ac corpusculis adglutinatur ex ea formatis, libera magis manent velamenta, ut et inveterati eiusmodi tumores facile moveri possint. Est tamen semper aliquid in velamentis, quod supellectilem novam lymphae generandae addit. Arteriae enim, velamentis vicinae, suppeditant iugiter lymphae eius copiam, e qua formantur cystides. Vnde, exenta licet omni omnino massa, quam tumor tunicatus intus habet, nova tamen fere semper propullulat, nisi velamentum simul, aut basis saltem exterminata fuerint, quo quidem facto destruuntur etiam germina humorum contentorum.

## 33.

Tandem curationem, quam manu suscepit, paucis illustrare conor. Et primo quidem loco moneam, me non sine iure taxasse eorum cognata, qui tumorem adeo renitentem ac inveteratum discutientibus aut resolventibus remedii tractaverant: quandoquidem probe sciamus, a pristinis inde temporibus in fluidis magis tumoribus tunicatis, in meliceride, aut atheromatis recentibus, tentari posse discussionem. Ita PLATNERVS recentibus tumoribus superhaberi

iu-

iubet emplastrum diachylon, aut vaporem e sale ammoniaco et aceto, seu spiritum Mindereri. Cataplasma autem, quae laxant, noxia esse, neque iis, neque aliis remediis committendum, ut tumor per se aperiatur, quum, velamento illo non abscedente, facile hebes caro vitiataque aut sarcoma inde enasci possit.<sup>15)</sup> Ea ipsa res quoque obstat discutientibus omnibus singulisque, quum faciant quidem, ut absorbeatur aliquid humorum in caveam illam effusorum, nequidquam tamen velamentum destruere aut impedire possint, quominus illud denuo humorum copiam exsudet. Addi tamen, si unquam in recentibus tumoribus ad discutientia confugere fas esset, possent longe alia et magis efficacia quidem remedia, velut emplastrum resolvens Schmuckeri, belladonnae sive cicutae folia recens contusa, frictiones tumoris frequentiores etc. Ad meliceridem maxime discutiendam GIRARDVS duo nobis praesidia commendavit ex gummi ammoniaco et sagapene cum antimo-  
nio crudo, aliud autem emplastrum *Vigonis* cum mercurio.<sup>16)</sup> Ne novus iterum fons humorum in cavea congestorum aperiatur, varii auctores commendant compressionem fortiorem, cuius ope velamenti parietes ita continuo ac arcte ad se invicem attrahuntur, ut nova mate-  
riæ contentæ generatio impediatur.<sup>17)</sup>

34.

15) Institut. chirurg. §. 765.

16) RICHTERS chirurg. Bibl. B. III. S. 450.

17) BELL'S Syst. der Wundarzneyk. B. IV. S. 315.

## 34.


Praeter discussionem nonnulli ad deligationem confugunt, maxime quum tumor pedicellatus est, eiusque formae, ut basis eius constringi, lentiorique eo modo solvi a reliquo corpore possit. Ea curatio et nuperis temporibus commendata nullo modo praeferrri posse ferro videtur, quum dolores, quos excitat, ni vehementiores, iidem fere sint ac qui ex ferro oriuntur, quum praeterea breviori tempore ferro solvi possint pedicellati tumores: ideoque et huic principatus merito tribuendus est.

## 55.

Curatio autem ipsa, quae ferro fit, duplice instituitur ratione: *vel* enim aperitur tumor ipse, discesso velamento; *vel* cystis cum clausis velamentis eradicator. Prior methodus maxime commendanda esse videtur, si e vicinorum vasorum vulneratione periculum timeamus, si id, quod intus est, ita fluidum aut pultraceum esse videtur, ut faciliori hac ratione evacuari possit. Veteres iam chirurgiae per medium secare tunicam, tunc istoria applicare iusserunt, ut crustam accipiat apertus tumor, tum vero exciso velamento pus moventia adhibuerunt.<sup>18)</sup> SEVERINVS in apertos tumores, si firmius haerent, cendentia ferra immittit, quae maxime idonea sint remedia, ubi minus evulsae videantur fibrae, quibus tumor nititur,

aut

<sup>18)</sup> Cels. lib. VII. c. 6. AET. tetr. II. lib. III. c. 83. p. 333.



aut ubi periculum sit profluxuri sanguinis vel accessurae corruptionis. Speciatim vero monet, atheroma haud semper oportere totum a cute revelli, ita ut velamentum conclusi infarctus integra sit. Satis esse, ut latiuscule et decus-  
satim transscissa cute, quam maximam licet, membranae partem forniculis aut scalpro rescin-  
das, ceteram portionem medicamentis digeren-  
tibus et erodentibus detracturus.<sup>19)</sup>

## 36.

Quodsi itaque id, quod intus est, vel mel-  
leus humor, vel pulticula tenuis esse videtur,  
incidi omnino cystis debet. Potest tamen etiam  
setaceo aperiri, eaque simul adhibenda sunt,  
quae puri movendo sunt. Si autem tumores  
adeo duri sunt, ut aperiri tunica non posse vi-  
deatur, prius tamen eradicari aut circumscissa  
cystis tota et integra eximi non debet, quam  
tentata fuerint ea remedia, quae mollire et du-  
ros tumores in melicerides mutare valent. Eo  
fine expedit maxime *spiritus arthriticus Pottii*,  
qui sale communi, acido sulfuris et oleo tere-  
binthinae constituitur.<sup>20)</sup>

## 37.

Dum ipse tumor tunicatus durus est et so-  
lidus, neque tamen cum partibus vicinis iusto-  
fir-

19) SEVERIN. I. c. 25. 26. p. 166. sq.

20) ACREL's chirurg. Händel p. 246. RICHTER'S chirurg.  
Bibl. B. IV. S. 464.

firmiori nexu cohaeret, extirpatione omnino tentanda est, si prius yasis vicinis cautum est. Veteres iam chirurgi, LEONIDAS Alexandrinus et ANTYLLVS, monuerunt, saccum totum cum integro velamento excindiri aut uncinis extrahi debere. Cavendum maxime esse, ne humor effluat, tumorque concidat, quo facto tunica aegerrime possit excoriari ac curari. Quodsi aliquid de tunica relinquatur, ad putredinem id esse cogendum oleo tepido et butyro.<sup>21)</sup> Eorum loco remediorum nuperi substituunt vel scarificationem vel etiam caustica, e quibus mercurius praecipitatus ruber et lapis infernalis aut butyrum antimonii praecipue memoratu digna sunt.

## 38.

Consuendas esse post extirpationem vulneris oras, ut antiquitas suasit, equidem et superfluum duco et noxiū, siquidem deperdita caro prius non regeneratur quam pure moto, e quo partes eae eliciuntur, quae carnem constituant. Spleniis itaque et linamentis carptis impletandam esse cavitatem, eaque inungenda glutinantibus aut leniter irritantibus, pro differenti orarum indole, ut pro manans pus bonam carnis copiam suppeditare possit. Tali modo et nostra curatio perfecta est, perficique posse similes curationes persuasum habeo.

21) AET, tetr. IV, lib. 3, c. 7, p. 744.

## T H E S S.

---

### I.

Contagia non proximam, sed remotam  
morbi causam constitunnt.

### II.

Causa proxima morborum vix per se, nisi  
in morbis organicis, cognoscitur.

### III.

Hydrops nervi ischiadici non causa, sed  
effectus morbi ischiadici est.

### IV.

Inflammatio est morbus vasorum haema-  
tophororum. Quare telam cellulosam, mem-  
branas, viscera esse inflammata, impropie di-  
citur.

### V.

Anatomia quasi basin artis medicae et chi-  
rurgicae efficit.

---

P R A E-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

S C H M I D I O  
AMICO SVO CARISSIMO

S. P. D.

M E Y E R V S L E V I N

M E D I C I N A E D O C T O R A N D V S.

Inter plures viros eximios, qui singulari suo favore me affecere, quorumque memoria mihi semper carissima erit, TU etiam, amatissime Amice, haud mediocri amore me prosecutus es. Neque enim unquam TE perfidum inveni, aut inconstantem, sed candidum semper atque fidum amicum, omnibusque animi dotibus, quae medicum mirifice exornant, instructum. Et omnibus profecto, qui TE norunt, cognitum est, TE vere medicinae studuisse, atque dies noctesque in legendis dijudicandisque optimis tam veterum quam recentiorum medicorum libris consumisse. Quamobrem certe non mirum est, TE eximiam multifariae eruditioonis copiam TIBI comparasse, id quod et dissertatio TUA declarat, opus

C

doctis-



doctissimum, quod solidam TUAM atque insignem doctrinam p<sup>re</sup>clare demonstrat. Quare merito nunc TIBI tribuuntur summi in arte medica honores, quibus ii tantum ornari solent, qui in arte nostra probe perdiscenda omnem operam adhibuere. In exercenda medicina, ut omnia feliciter TIBI cedant, et ut obsequentes, confidentes et sapientes sortiare aegros, amanter opto. I nunc ad patrios lares, Doctorande doctissime, et arti nostrae amplificandae vaca. Quicunque vero nos in futurum dividant terrarum tractus, serva mihi eam, qua me semper complexus es caritatem et amicitiam, firmiter TIBI persuasus, nullum tempus TUI amore, TUIQUE desiderio apud me fore vacuum. Vale.

Dabam Halae in Frideriana d. XIX. Octob.  
MDCCXCVIII.

WB

Pica





4

DE  
ATHEROMATE  
MANV CVRATO.



ICVM,

EDICAE

CINA

E S,

EILIO,

BL. ORD.  
ETC.

VIII.

HIMDT,

*an Ken*

II.